

39.

Carmina,
ERVDITIONE EX-
CELLENTI PRÆDITO, PIE-
TATE ET VIRTUTE ORNATISSI-
mo viro: D. Petro Egellio, Rauenspurgensi: Me-
dico solertissimo: cùm illi honores, quos Do-
ctoreos vocant, in celebri Academia Tubin-
genſi decernerentur: honoris & gra-
tulationis ergò ſcripta
ab amicis.

XV. DECEMBRIS ANNO
M. D. LXXIIII.



TUBINGÆ,

*Dño Conrado Weysſo patricio
francofurt. poeta laureato, et
J. V. Licentiato et et Joſe
Lundorpius.*

PRO MEDICIS.

Carmine maeste tuo doctissima turba poetar:
 Sit tua phœbæis dedita Musa sacris:
 Cui Deus ætherio concessit numine vires,
 Ut sua composito carmine dona canas.
 Materiam Medicina tibi ter maxima dignam
 Suggestit: hæc versu est rite canenda tuo.
 Vos quoq; pars melior plebis, quam pectus honestum
 Exornat, Medicos hortor amare bonos.
 Numina namq; colis, cum suspicis alma Deorum
 Munera: conueniens est honor ille Dei.
 Dulce Dei donum Medicus: cui poscit honorem
 Quem Deus, hunc illi resne creata neget?
 Iura quidem magno celebravit honore vetustas:
 Ast inter Medicis astra dedere locum.
 Hac ego ne videat forsân sapientior vnus
 Summum do Medicis, attribuoq; locum.
 Sint homines, odium quorum præcordia vexat,
 Qui impuris violent morsibus omne bonum:
 Hi te ne moueant moneo liuore maligno:
 Non homines sed sunt nescia monstra Dei.
 Quippe solent stulta sese ipsos prodere lingua
 Dum dicunt aliud, quàm ratione probent.
 Quis nigro, reor, helleboro prægrande cerebrum
 Purgandum est, cessent ut mihi desipere.
 Sed laterem luimus, nec enim garritibus Ibis
 Desinit, est animo sæuus, ut ore malus.
 Insidiosa tamen subfulta calumnia nugis
 Laudatis adeò nil nocet vsq; viris.
 Zoile perge igitur: nil candida pectora tecum
 Participans: ingens solus es Ardelio.

*M. Iacobus Præn-
 telius Stryus.*

NICODEMVS FRISCHLI-
nus Academiae Tubingens
sis professor.

Tollere difficiles qui scit medicamine morbos,
Hunc quicumq; sapiis, fac reuerenter ames.
Vt quondam illius facilis tibi copia fiat:
Paonia quoties indiget arte malum.
Quae leuat humani felix medicina dolores
Corporis: à Domino, non aliunde venit.
Ipse Deus medicum summo tibi mittit Olympo:
Et reges illum numinis instar habent.
Nam rerum causas studio rimatus & arte,
Alius humanis exerit ille caput.
Ille, licet caeli degat regione remotus,
Mente tamen mundi regna triformis adit.
Quaeq; sagax oculis hominum natura negauit:
Visibus ingenij perspicit ille sui.
Scire potestates herbarum, vsumq; medendi:
Est ars Herois non odiosa viris.
Hac qui ritè valet, magno est in honore potentum,
Et Iouis elato vertice tecta ferit.
Qualis erat medicis pollens Erasistratus herbis,
Antiocho regi maxima cura suo:
Qualis Alexandro Macedùm fera regna tenenti,
Paonia felix arte Philippus erat:
Qualis Phyllirides, qualis Podalirius, omnes
Argolicos longè dignior ante viros.

*Inuentum medicina Dei est: Deus educat ipse
 Mille herbas terra, mille salutis opes.
 Ipse tot eximias in mollia germina vires
 Indidit: & varijs iussit olere modis:
 Iussit & in longos consurgere semina caules:
 Et folia & pictas iussit habere comas.
 Idem etiam volucrum, & pecudum, generiq; natantum,
 Ac gemmis miras insinuauit opes.
 Qui sapit, has vires, naturæ munera, nunquam
 Despiciit, ac cæli numen inesse putat.
 Arboris vt possit homini innotescere virtus:
 Iniecta hac liquidis fugit amaror aquis.
 Nam Deus hanc ægris tribuit mortalibus artem:
 Ipsius vt merito numen honore colant.
 Hac ille infirmos à morbo liberat artus:
 Hac succos miscet pharmacopola suos.
 Quid multis? numero superùm comprehendere dotes
 Nemo potest: numero copia maior erit.
 Quicquid enim rebus quondam venit vtile nostris,
 A Domino solùm, non aliunde venit.
 Nonne igitur meritò Eggelios dignemur honore:
 Insignes medica cognitione viros?
 Qualis eras quondam Ioachime potentibus herbis,
 Inchyte: & ingenij vir bonitate valens.
 Difficiles hominum doctus releuare dolores:
 Et medicam morbis addere doctus opem.
 Qualis es insignis Ioachimi Carole proles,
 Magna Rauenspurgæ fama decusq; tuæ:
 Mitia pestiferis qui scis dare pharmaca morbis,
 Et formidatas tollere solus aquas.*

gratulatoria.

5

*Te medicante anceps membris exire podagra
 Debet: & articulos deseruisse suos.
 Tulentum poteris medicina arcere Marasmm,
 Et modò non oculos caco aperire nigros.
 Moxq; tibi medicos, interq; Machaonas omnes,
 Primus erit, nullo non tribuente, locus.
 Ipse licet tecum ingenio contendat & arte,
 Victori tergum vertet Apollo tibi:
 Non fallo: aut vatum me assueta licentia ducit:
 Predicat has vires patria terra tuas.
 Nunc etiam vobis succedit tertius haeres,
 Ingens Eggeliae fama futura domus.
 Petrus Apollinea iuuenis cultissimus arte:
 Patre satus medico, Peone natus auo.
 Qui studium teneris medicum sectatus ab annis,
 Natura arcanas accumulauit opes:
 Quicquid habet caelum, quicquid latissima tellus,
 Subdidit ingenio, non sine laude, suo.
 Ille auium vires, pecudes, genus omne natantum
 Nouit: & herbarum quae bona, quaeue mala.
 Ille imos terra penetrauit mente recessus:
 Et gemmis didicit nobile quicquid inest.
 Quicquid enim Couis, de stirpe Machaonis ortus,
 Praecipit, & Phrygij fama Galenus agri:
 Quicquid habet Celsus, doctiq; Ruellius oris:
 In memori solers pectore Petrus habet.
 Addo pios hominis mores, animumq; modestum,
 Et quae illum summo comit honore fides.
 Addo oculos vigiles, & ab omni labe remotum
 Pectus, & ingenij candida vela boni.*

A 3

Quare

Quare illi meritò Phœbæa ferta corona
 Dantur: Apollineas circuitura comas.
 Et cœtus Medicæ decus immortale Palaestra
 Addit: & in morbos apta dat arma graues:
 Vt iam doctorem iuuenesq; viriq; saluent:
 Nominis ex merito contigit huius honor.
 Vire diu Petre, & patrios decorare penates
 Perge: patrisq; & aui tramite curre tui.
 Sic tibi felices Christus det maximus orsus:
 Fortunetq; tuas hîc & vbiq; manus.
 Vt tua morbificos sanet medicina dolores,
 Qua sola à Domino, non aliunde, venit.

E L E G I A G R A -
tulatoria.

ERgo Machaonias, Musæ, tentabitis artes,
 Iuncturæ Medicis numina vestra choris?
 Et licet & fas est, cognato numine Phœbi
 Cùm Medici vigeant Pieriq; chori.
 Ergo tibi nostræ meritò debentur, E G E L I,
 Musæ, debentur carmina nostra tibi.
 Dum tibi pro merito fertis sacra tempora Phœbus
 Cingit, ab Hesperij quæ tulit arce iugi.
 Gratulor oblatos, quibus es decorandus, honores,
 Gratulor ingenio munera digna tuo.
 Te Medicina suum celebris tueatur alumno,
 Quod summo in multis ornat honore, decus.
 Sentiat egrotus medicæ felicia dextræ
 Dona, duce huic gratus te redeatq; vigor.

Numine

Gratulatoria.

7

*Numine sic iussum presenti munus obibis,
 Auspice & absolues omnia cæpta D E O.
 O sacrum, ô medici nomen venerabile, summum
 Praconem quondam gloria nacta D E V M.
 Nam quoniam varijs nostra est obnoxia vita
 Casibus, incertas voluere sueta vices:
 Dum morbis homines languent, lethoq, propinqui
 Agra spiramen vix graue fauce trahunt:
 Extremò medici manus auxiliumq, petuntur,
 Expectant medicas languida membra manus.
 Sed quid nota satis repeto? aspicienda priora,
 Laudandumq, tuum, candidè Perre, decus.
 Quod, quoniam ingenij vires atq, ægra labascunt
 Donata Aonio munere dona mihi:
 Pauca ratus meliùs, quàm multa & inepta referri,
 Rumpo, vno fundens GRATV L O R ore tibi.
 Christianus Egenolphus
 Francofurt. P. L.*

ELEGIA ALTERA
 ab eodem post actum
 conscripta.

V*ix noua succrescens repararat cornua Phæbe,
 Vix media lapsus parte December erat:
 Fortè sub immenso condentem lumina Ponto
 Alto conspiciens gurgite Phæbus ait:
 Quid, soror, vsq, meæ radios fugis anxia frontis,
 Quo, quod habes vnquam, non sine lumen habes?
 Sistere te cursus, & equos inhibere iubemus:
 Hæc paruum poscunt, quæ peragenda, moram.*

Dixerat:

Dixerat. Hæc & equos inhibet, nec iussa recusat,
 Ille sacro tales fundit ab ore sonos:
 Est quidam viridis florescens verè iuuentæ,
 Sacra parat summum cui Medicina decus.
 Et meritò: nostra siquidem sudavit in arce,
 Egrotis faciles applicuitq; manus.
 Quid multis opus est? Vsu mea pharmaca longo
 Vt nosset, doctrix clara VIENNA fuit.
 Nostraq; luxurians fœcundo rure, TVBINGA
 Discipulo, quicquid defuit, omne dedit.
 Nec reliquas memoro, quibus est cultissimus, artes:
 Quas Albis, Rheno iunctaq; Brusca dedit.
 Quæq; suas laudes, sua præmia quæq; meretur:
 At maius nostro non habet vlla decus.
 Huic ego decreui, quos summos donat honores
 Ars mea, Phœbeis tegmina digna comis:
 Atq; decus digitis, claro quod splendeat auro,
 Ardentesq; meo vix minus igne faces.
 Præter & hæc, artis sinuosa volumina nostræ,
 Et tacitè sacro dogmata clausa libro:
 Quæ, sexta decimam decimus cum iunxerit imber
 Auroram, nitidis quæ volitabit equis:
 Illico contribuent communi voce merenti,
 Ornabuntq; sacrum sacra Lycaea caput.
 Hac ego fulgebo solito rubicundior hora,
 Atq; virum flammis irradiabo meis.
 Tu fac maiori decores hanc lumine noctem,
 Quæ bona vicinæ nuncia lucis erit.
 Interea (quoniam nobis mora radia gignet)
 Nubibus obscuris cinctus Olympus eat.

Dixerat:

Gratulatoria.

9

Dixerat: & solito vix ibant tardiùs axes,
 Lunaq; noctiuagos vix cohibebat equos.
 Pluraq; si tempus sineret, dicturus, Eois
 Leue caput Phœbus sustulit altus aquis.
 Iamq; nitens cœlum lux matutina serenat,
 Exerit & nitidum præuia stella iubar.
 Mox ruit ignitus maiori lumine Titan,
 Et recreat, circum quod iacet, omne solum.
 Prodit & hinc magno numero comitatus & illinc
 PETRVS, Apollineis comitior ipse comis.
 Conscendensq; sacri limen prælustre Lyœi,
 Mox Clarij sentit numen adesse ducis.
 Quos ego tunc vidi pudibundis vultibus ignes
 Surgere? qui tenero fulsit in ore rubor?
 Parcite Pierides: tunc & mihi numina Phœbi
 Et veluti visus membra videre sui.
 Ille tamen quanto meliùs? neq; Cynthia, cuiuis
 Cernere te propiùs Pieridesq; datur.
 Iamq; novos iussu parat HAMBARGERVS honores
 Præsidis, & cupido dat noua dona viro:
 Imponens capiti rubeum pro more galerum,
 Et cingens auro diuite ritè manum.
 Iamq; faces ardent, micat aurum nobile, tegmen
 Illustri dignum vertice, PETRE, geris.
 Offeriturq; liber magna tibi laude volutus,
 Complectens Medici dogmata sana gregis.
 Ampla te Iuuenes celeberrima laude corona
 Tollunt, & valuis carmina fixa legunt:
 Collaudantq; novos Medici Doctoris honores,
 Lætâq; concordî iubila voce canunt.

B

Organa

Organa te celebrant, vox te sonat ardua cantu,
 Et lepidus sacra surgit in aede sonus.
 Non ita Romulidae claros vidēre triumphos,
 Cūm Mario celebris prada Iugurtha fuit.
 Non ita, cūm tristis miserè tua rudera flesti,
 Carthago, & gemino clausa, Corinthe, mari.
 Non ita, cūm Nilo, Cæsar, noua iura dedisti,
 Terraq; te dominum dixit Ibera tuum.
 Cedant arma togæ: cedas, Mars improbe, Phæbo,
 Nomina Phæbeus summa triumphus habet.
 Aut cur exiguae referens, quæ dona palæstræ?
 Natus in amplexus dum tibi fortè ruit:
 Es nimis insanam subita, stultissime, mortem
 Læticia visus præcipitare pater?
 Lætitiâ potiùs summam Phæbea merentur
 Præmia Pierio carmine digna cani.
 Quânto te reducem meliùs venerandus, EGELL,
 Dum patrij repetes arua beata soli,
 Excipiet genitor, lacrymisq; cadentibus vda
 Hæsurus lepidis perluet ora genis?
 Id quoniam voto languens desiderat omni,
 Nil nisi tu patriam nunc meditaris humum.
 Hac tibi quotidie somnos tempusq; diurnum
 Turbans arbitrij te vetat esse tui:
 Et, qua gaudebas, nunc à florente TVBINGA
 Demouet, ad gremium te reuocatq; suum:
 Nec tamen hoc solùm, spacium sed & eripit omne,
 Luxq; tibi nimium præcipitata fugit.
 Quod quoniam fati fieri cogentibus omne
 Suspicio, & iussu, qui regit illa, DEI:

Gratulatoria.

11

*Nec tibi, PETRE, putes sperni debere, caueto:
Sed peragas hilaris, quod tibi restat, iter.
Nec tibi brumales noceant pluuiæ uel niuës uel,
Aspera consilium nec remoretur hyems:
Sed, tibi qui nuper placido sua lumina vultu
Præbuit, hac vna te quoq; sorte beet.*

MVSÆ GRATVLAN-
tes eidem, amicitiaæ ergò
referente.

M. MATTHIA ANO MOEO,
VV OHNSIDLENSI
Varisco.

Petre nouenarum dulcissima cura sororum
Semper Apollineo dulcis amice choro.
Suscipe Pieridum gratissima vota dearum,
Et quæ Phœbao carmine dona ferunt.
Carmine dona ferunt, cinctura tempora lauro,
Dignus es ut medicas condecorere comas.
Hæc tibi Parnasi domina, tibi ductor Apollo
Musarum famulum munera ferre iubent.
Si tua perpetuò clarescant nomina versu:
Sic semper medicus laude vehatur honos.

A P O L L O.

*A Ioue principium Medicinæ: Iuppiter autor
Orbis & herbarum, ventorumq; ignis & vnda.
Hinc gremio qua terra suo medicamina fundit,
Hinc quod habet cælum, quod & ampli marmoris aquor.*

B 2 Cuncta

*Cuncta pater Deus orbipotens rex summus olympi
Præbet, & æternum sola bonitate gubernat.
Qui solus colitur ficta sub imagine Phœbi.
Ingenio meliore Deum mens diua fatetur.*

C L I O.

*Primus Apollineas præstans Epidaurius herbas
Excoluit dignus factus honore Dei.
Hinc Chiron clarum, Podalirius, atq; Machaon
Perpetuò medica nomen ab arte tenent.
Nec minus Hippocrates summus medicamine princeps:
Notum est & studium Magne Galene tuum.
Claret Arabs multum sanas Auicenna per herbas:
Et quæcunq; sequens nomina tempus habet.*

E Y T E R P E.

*Ite citò fugitante procul pede, cedit, vultus
Rubore multo abscondite.
Exitialis anus, balatrones, præstigiator,
Magi, striges, veneficæ,
Æruscatores, erronei, vociferator,
Et circulator pestifer.
Ingenij melioris amat, multumq; requirit
Medicina nostra, pectora.*

T H A L I A.

*Quem sub ignita teneant recursum
Axe cœlorum radij micantes*

Gratulatoria.

13

*Solis: vt curuet sua mutuando
Cornua Phæbe.
Quid grauem morbis Boream malignis
Excitet: pestis gemibunda causam
Quam trahat: quantum cœcundo præstent
Sydera damnum.
Ver quid importet calidum madore:
Aut quid æstatis calor arefactæ,
Algor autumnii madidi, rigentis
Frigora Brumæ.
Nobilis curat Medicina cœli
Cuncta: nec stultè rationis expers
Irruens, agris nocitura casu
Pharmaca miscet.*

MELPOMENE.

*Quæ terra trudat germina
Quæ prata lata gramina.
Herbæq; quàm virentibus
Æstate crescant floribus:
Amœna quàm stent millia
Campo virente lilia.
Virtute quàm multiplici
Variata: quid sit corpori
Accommodum: vel pessima
Quid proferat pericula:
Quæ vis sit in radicibus,
Et quæ facultas stirpibus:
Medicina curat omnia,
Et mente discit sedula.*

B 3

TERP-

TERPSICHORE.

*Sylvarum mihi cultor esto: doctus
 Quos portet nemorosa sylvia ramos.
 Quæ vites, oleæ, Cupressus, Ulmi,
 Cedri, Punica, Palma, Laurus, & quæ
 Excelsam superas comam sub auras
 Tollendo, fouet alma terra mater:
 Qui clarum caput erigit per artem
 Phœbeam: medicosq; dignus inter
 Versatur: meritos tenens honores.*

ERATO.

*Pandite Musæ
 Flumina Ponti,
 Æquoris undas,
 Lustra ferarum,
 Antraq; densis
 Inuia dumis,
 Sentibus agros.
 Namq; Magister
 Arte medendi
 Quicquid apertus
 Possidet orbis,
 Omnia rerum
 Abdita tentat.
 Grandia cete,
 Alta sub undis
 Mersa profundis,
 Tecta volantum*

Gratulatoria.

15

*Vimq̄ animantum,
Qualia diro
Frigidus anguis
Inferat ictu
Dente venena.
Omnium amorem &
Prælia rerum.*

P O L Y M N I A.

*Machaonis qui præsidet scientiæ,
Hic dignus est præ cæteris, honoribus,
Iudæa quid loquatur hic intelligit,
Arabumq̄, linguas percipit loquentium:
Quid scripserit Pelægus aut Hippocrates:
Aut quid Galenus ille doctor maximus:
Quid Roma florens eloquentia ferat.
Ex hisce cunctis colligit docentibus,
Quid sit fugando commodum periculo.
Et hunc Deus necessitatis gratia
Donavit humano bonum consortio
Leuamen in periculis prementibus.
Hunc ergo quisquis mente sana præditus
Honore dignum censeat vel maximo.*

V R A N I A.

*Quale decus medico tenet alma Tubinga vigore,
Clara Lyceæ scholæ:
Quale decus qui te talem fecere Magistri
Artibus ingenij:
Tale decus fias medica notissimus arte
Ingenioq̄ tuo.*

Six

Sis cura felix medica, præstansq; per herbas:

Commoda multa feras.

Sic te Phæbus amet, tua sic quoq; cæpta secundet

Candide Petre precor.

C A L L I O P E.

Ac mihi quis referet pompã hanc resonabilis Echo? Ego.

An memorare potes cæcum isthoc ordine missum? Is sum.

Ergo veni propius, magis vt spectare queamus, Eamus.

Haud dubiè magni fiet conuentus honoris. Noris.

Quorsum igitur vadūt, habituri fortè choraulã? Aulam

Quam referes aulam? doctorũ nũmne virorum? Horum.

Quid facient isthic? num sunt spectacula ludi? sã

Rectorem cupiunt iterum sibi turba creare? Ave

Anne magistrorum repetet noua nomina terras? Erras.

An cui Doctoris firmanda est nomine vita? Ita.

Ob quas decernit tales Academia partes? Artes.

Fallor an ille meus stat Petrus in ordine primo? Imo.

Hic an Doctoris referet forsã quoq; munus? Vnus.

Soli ergo huic festum hoc hodierno tempore factũ? Actum.

Si verum narras, multum illi debeo laudis. Audis.

Fit certè dignum, toto mihi pectore gratum. Ratum.

Portat synceram puro sub pectore vitam, Fidam.

Iurã ne disponet: vel sacris dogmata verbis? Herbis

Est ergo Doctor pellendis corpore mendis? cã rois.

An dignum censes circum sua tempora lauro? Auro.

Sed tu quo primum digno hunc ornabis honore? Ore.

Et nostro venient illi cum carmine laudes? Audes.

Fecissem, monitor licet haud mihi tute fuisses. Is es.

Tu mecum tamen huic Doctori fausta rogabis. Abis.

E I D E M

EIDEM GRATVLA-
tur Antonius Varnbulerus
Lindauiensis.

Recte Virgilius dulcis, Romanaq; Siren
Dixit: qui duros casus virtutis amore
Vicerit: ille sibi laudemq; decusq; parabit.
Nam tibi, ne longis exempla petantur ab annis,
Vnus hic exemplo fuerit virtute decorus,
Multiplici Egkelius proles dignissima patre
Carolo: & ingenij virtute animoq; capaci
Praditus. Ingenium qui non rubigine scabra
Erodi passus: sed doctis artibus illud
Excoluit, pressus magnorum mole laborum.
Nec sicut Thasios vis imbecilla cerebri
Exhorret latices, aut lucida tela diei
Sub lustris crepero qui gaudet vespere, bubo:
Ille libros fugit, sed duros vsq; labores,
Difficilesq; tulit clara virtutis amore.
Dum medicas herbas, & Paonis excolit artem:
Hippocratemq; legit, magnum voluitq; Galenum.
De pietate quid hic referam? Tibi Petre fides &
Religio cura semper fuit, & sacra caeli
Numina culta tibi: nec te reuerentior vllus
Nos inter Christi: Anteibas virtutibus omnes,
Iure sodalitiij quos iunctos semper habebas,
Et tua semper erant niue pectora candidiora.
Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis:
Nam tua nota mihi virtus & candor & alti
Simplicitas animi, turpi non oblita fuce.

C

Ergo

Ergo virtutisq̄ tua grauiumq̄ laborum
 Et vitæ eximie nunc premia digna capeſtis.
 Quodq̄ tua emeruit pietasq̄ fidesq̄ laborq̄
 Hoc grator: carmenq̄ meum quod profero primum
 Eſſe mei cupio monumentum & pignus amoris.
 Eternumq̄ Deum votis ardentibus oro:
 Hunc tibi fœlicem concedat mitis honorem
 Aſſiſtatq̄ tuis comes & dux vndiq̄ cœptis.

A C T V M D O C T O

reum hoc modo deſcripſit Ioan-
 nes Lundorpius.

L Vtea noctiuagos cœlo Pallantias igneis
 Depulerat, rursusq̄ diem mortalibus agris
 Solis equi nitidam curru ſtamante ferebant,
 Impiger ad Nicri cum ſe Cyllenius vndas
 Contulit, excelſum linquens Heliconæ, ſororum
 Iuſſa nouenarum non contemnenda ſecutus.
 Quàm pulcro facies vernabat ſplendida cultu,
 Mortali vaſtum nulli conceſſa per orbem.
 Os humeroſq̄ Deo ſimilis per compita plauſus
 Ingreditur geminans, aurato clarus amictu,
 Purpura Maandro duplici quem plurima circum
 Errat, & haud vanos in ſtamine ſignat honores:
 Intextusq̄ furit Perſeus Stenobeius Harpe,
 Qualis erat ſeuam præſecto Gorgona collo
 Cum premeret, populoſq̄ metu trepidante leuaret.
 Parte alia nemorum cultrix intexta fatigat
 Veloces curſu ceruos, Cortynia cornu
 Spicula Threicio torquens emiſſa per auras.

Auratam

Gratulatoria.

19

*Auratam dextra virgam gerit, aurea collum
 Bractea circumdat, viridis quam pingit Iaspis.
 Iamq̄ nouem faciens sibi credita iussa sororum
 Progreditur, lateq̄ vias clamoribus implet:
 Huc age, Palladia quos vrget cura palaestra
 Ocyus accelerent omnes, orsiq̄ triumphos
 Leta voce novos celebrent, namq̄ alta bicornis
 Culmina Parnasi subito Tritonia linquens
 Pallas Hiantais aderit stipata puellis,
 Quas inter Medica doctissimus arte Machaon
 Et sacer in toto fulgens Epidaurius orbe:
 Ille triumphali velatus tempora fronde,
 Sic Musa iussere, novos decernet honores
 Egello, varias docuit, quem nosse figuras
 Herbarum, & succis humano à corpore morbos
 Pellere tabificos, atq̄ instillata medullis
 Toxica, ne subito rumpantur stamina fato.
 Dixerat, exultans denso ruit agmine pubes
 Continuo, latum spargitq̄ per æthera murmur:
 Mellifer ut quando flores exercitus Hyblæ
 Rapturus, vasta sese demittit ab aluo
 Arboris exese, camposq̄ ingressus apertos
 Mussat, & arguto fertur violaria circum
 Murmure, belligeræ similis per cuncta phalangi:
 Aut quando Romana cohors visura, subactis,
 Quos cristata, Getis, peperit Bellona triumphos,
 Fertur ouans, latumq̄ canit Pæana per urbem.
 Stant circum iuuenes lectissima turba Lycæum,
 Pars veræ diuina colens documenta salutis,
 Pars Medicas tractans herbas, & Pæonis artes,*

Pars studijs addicta tuis, Themis alma, latenteis
 Pars & naturæ scrutans indagine causas,
 Astrorumq; vagos cursus, cœliq; rotatus.

Et iam raucifono strepuerunt cornua cantu,
 Cum Nicer è vitreo madidum caput extulit antro
 Cœruleus, sensitq; novos sub pectore motus:
 Constitit, & vario torsit vaga lumina flexu,
 Tempora concutiens molli viridantia musco:
 Humectant humeros gutta, barbamq; cadentes
 Vertice, nubifico ceu cum ruit æthere nimbus
 Arua rigans Solis torrenti exusta calore.

Addunt se socias Nereia turba puella,
 Callianassa, Rhanisq;, Ligeaq;, Cymodoceq;
 Pingere acu doctæ & percurrere pectine relas:
 Pellibus incinctæ pictis per grammia ludos
 Exercent, leuibus pulsantes litora plantis.

Interea Pallas veloci concita gressu
 Thespiadum stipata choro, procerumq; corona,
 Per campos nota fertur regione viarum
 Doctæ Lycæa petens, gemmis insignis & ostro:
 It medio spectanda choro, formaq; relucens
 Eximia, gratos reliquis adspirat honores:
 Lumina cum cœli radiantibus æmula certant
 Syderibus, formosa genas sed gratia pingit:
 Haud aliter quàm si roseo quis sanguine candens
 Tingat ebur, niueis vel cum rosa fortè ligustris
 Mistra rubens, variè spectantum lumina pascit.
 Est etiam reliquæ non infima gratia turba,
 Carbaseos succincta sinus, lauroq; capillos
 Quæ redimita comes gressum coniunxit eundo.

Gratulatoria.

21

At Nicer ut propius videt aduentare Camænas,
Cecropiamq; Deam, venerandaq; Phocidos alma
Numina, Phœbigenam, clarumq; Machaona, lymphis
Exiliens, tali venientes voce salutat:

Salve diua potens, sacrae saluete Camæna,
Et proceres clarum genus alto à sanguine Diuûm.
Dicite sed nostrum quare veniat is ad amnem,
Quid uè sibi vestra hæc poscat præsentia, nunquid
Forfitan & litui vestras peruenit ad aures
Clangor, qui bifido vos huc de colle vocauit?

Sic ait, at subito Pallas quæsita resoluit
Aduentus memorans causas, ac talibus infit:

Grex sacer Aonij frondosa cacumina montis
Linquimus, atq; tuos non frustra accedimus amnes:
Egello summos hodie tribuemus honores,
Qui nostris vigilans sudauit semper in armis,
Immemor haud patriæ laudis: iamq; arte medendi
Instructus varia, Pandora noxia tollez
Semina, fatales poscetq; in pralia morbos.
Ille tuas circum nascentia germina ripas
Vestigans studio Medicos congesit in usus:
Utq; sagax scandit celsos industria montes
Melliferarum apium, casia frondentis amore:
Sic iuga lustrauit cupidus, vallesq; reductas,
Germina pestiferis quarens contraria morbis.

Hæc ubi dicta dedit, Dryadum genus aduolat altis
Excitum Syluis, plausus inclusa volutant
Litora, pulsati studijs fremituq; fauentum,
Dant sonitum colles, redduntq; per aëra voces.
At tuba solennis postquam præsaga triumphis

C 3

Raucisonis

Raucisonis iterum fregit clangoribus auras,
 Haud mora, progreditur Pallas sacra agmina ducens,
 Ocyus & fertur rapidis ad mœnia ventis.

Nympharum sequitur cœtus, pars aurea gestans
 Munera, pars gemmas, aulæaq; murice tincta
 Pectine Arachnæo vitreis contexta sub undis.

Iamq; Nicer repetit muscosa cubilia letus,
 Murmura præcipitis cohibens inimica procella.
 Protinus exoritur plausus, varijsq; resultant
 Humida regna modis, dulces dum gutture voces
 Naiades effundunt, sistentes carmine lymphas.

Nec minor, interea dum Pallas fertur in urbem,
 Mœnia plausus habet, ruit obuia turba favore
 Gaudia continuans pleno, fremituq; sonoro.
 It posito, Cytharam gestans Latomus, arcu
 Præuius, & tenues implet concentibus auras,
 Pulsanturq; sacris pendentia turribus æra.

Turbam inter iuuenum leuibus volat incluta pennis
 Gloria, puniceis tenuis euincta capillos,
 Exhausti gestans haud vilia dona laboris,
 Obtorti gyros auri, vittasq; decorum
 Velamen capitis, doctiq; insignia cœtus,
 Namq; ea Palladias acies & castra secutis
 Merces digna viris, tales largitur honores
 Et labor, & studio discendi arrecta cupido.

Limina sed postquam sacri subiêre Lycæi
 Thespiades, procerum sequitur longo ordine cœtus
 Illicet Egellum cingens, ic præuia rauco
 Buccina cœlorum feriens connexa boatu:
 Vt cum discordes seuæ ad certamina turmas

Belliger

Gratulatoria.

23

*Belliger accendit Mauors, ut sortia reddat
 Pectora, nec vires desint certare paratis.
 Insignes forma pueri, gemmisq; rigentes
 Induti tunicas, gestant radiantia tædas
 Lumina, quas circum myrri frondentia serpunt
 Germina Narcisso sparsim intermixta rubenti.
 Flammeus it caelo fulgor, lux amula Phœbi
 Scintillat mediam radijs diffusa per aulam.
 Attonito pubes spectat præsentia vulci
 Numina, diuinæ & frontis miratur honores,
 Et Chlamydes gemmis pictas, auroq; erilices.
 Nec mora, confidunt extractis sedib; omnis
 Ordine turba senum, cum sic Epidaurius alto
 Exorsus folio placidis sermonibus insit:
 Aony proceres, studiosi lumina cætus:
 Munera cunctipotens mortalibus ampla ministrat,
 Quæ verum patrij cordis testantur amorem.
 Nam quæcumq; solum, vastus quæ continet orbis,
 Conditior humanos tantum produxit in usus:
 Illius imperio fundit sua munera tellus,
 Nec finit in cassum duros sperare colonos.
 Nunc terra effusis pluuijs madefacta liquefcit,
 Vt subigi curuo non agrè possit aratro:
 Mox Phœbi gratis siccata calforibus, almo
 Effundit gremio Cereris pulcherrima Diua
 Munera, quæ sanis prosunt, agrisq; salutem
 Restituunt, vires varias sortita superne.
 Fructibus ambrosijs arbor induca nitescit,
 Et sua mortali largitur pignora genti.
 Colla premenda iugo lorato animalia subdunt.*

Officiosa

Officiosa boues, et pingues vomere glebas
 Exercent, querulisq; vehunt ingentia plaustris
 Robora, qua subiecta focis mordacia pellant
 Frigora, dum gelidis algent iuga celsa pruinis.
 Nexilibus sonipes non subtrahit ora lupatis,
 Nec ferus hirsuto proiectat ephippia dorso,
 Sed quocunq; lupos fessor trahit, impiger audit.
 Cetera quid memorem multis animalia verbis,
 Lanigeras pecudes, pisces, genus omne volantium,
 Commoda mortali portant qua plurima turba?
 Præterea varias summo Deus aethere misit
 Non leue subsidium miseris mortalibus artes,
 Quas inter celebranda mihi Medicina salubris,
 Noxia qua longè pellit contagia, vires
 Restituitq; suas homini, cui flammea saeuus
 Spicula languenti fixit sub pectore morbus.
 Arida dum tremulos febris depascitur artus,
 Arte opus est medica, morbi qua semina venis
 Eximat, optatam reuocetq; in membra salutem.
 Heu mihi quàm lapsas Respub. sæpe columnas
 Defleret, quàm sæpe suo viduata marito
 Euulsis gemeret coniunx turbata capillis,
 Si medicos hominum nemo cognosceret usus.
 Funera natorum lugerent crebra parentes,
 Et soror abreptos fratres, fraterq; sorores:
 Nenia perpetuò turbaret funebris aures,
 Nunquam festus Hymen celebraret carmine tædas.
 His igitur merito clari tribuuntur honores,
 Quos constat medicas didicisse fideliter artes,
 Et qui pestiferos audent in prælia morbos

Poscere,

Poscere, & humanis fauos arcere dolores
 Corporibus, vario miscentes Pharmaca succo.
 Talia, iam dudum nostras versata per artes,
 Prælia molitur, tali se credere pugna
 Egelli gestit terreri nescia virtus,
 Solenneis merita cui nunc tribuemus honores.
 His dictis, victa præcingit tempora Egelli
 Punicea, digitos rutilo & circumligat auro,
 Proponitq; librum doctrinae insignia clara,
 Talia commemorans grauibus præconia verbis:
 Hos tuus ecce labor peperit sudatus honores,
 Dum Medicas tibi cura fuit cognoscere plantas.
 Te titulis augere nouis Tritonia mandat
 Pallas, & excelsum ferri super æthera nomen.
 Sic sua peruigili succedit meta labori,
 Talis compensat studiorum cædia merces.
 Iam tua sydereis cælestia regna penates
 Fama petit, nullis vnquam moritura diebus.
 Dixerat hæc studijs fauet assensuq; luuentus:
 Tum delubra petunt omnes, summoq; parenti
 Persoluunt dignas, ardenti pectore, grates.
 Organa multiplici mixtas discrimine voces
 Pulsa sonant, vario pulsatur carmine fornix.
 Circum Pegasides cantu gratantur honores,
 Nereidesq; melos fundunt per templa canorum.
 Gloria per medias volitat lætissima turbas,
 Et blandus Dryadum cætus, charitesq; decentes.
 At postquam superis grates de more soluta,
 Egellum tali compellat voce Minerua:
 I decus, j patriæ splendor, lumenq; coruscans,

D

Atque

Atque graues perimas fidenti pectore morbos,
 Nam tuus illud honos, illud tua gloria poscit.
 I decus, i patria splendor, longoq̄, superstes
 Tempore, collatos fœlix tue aris honores.
 Dixit, & Aonij rursus petit ardua montis
 Culmina, Pegasidum cœtu comitante sororum.

EIVSDEM IOAN-
 nis Lundorpij Elegia gra-
 tulatoria.

Θεασίαμ πανάκημ μέγ' ἀρρογένεας' ἐπαρωγόν
 Κοίραν Θ' ἔλυμπε νῆμε κατ' ἡρεφέθ.
 αἶμαρ ἀλεξικάκοις πύκασερ παμμήτορα ποίαις,
 ἔμμεν ἀκεασοδύνας καὶ μάλ' ἀνωξε λίθας.
 Θελητήρων νόσοιο χυλάμ πλήρωσ' ἐλεώνας:
 ἰχὺρ καὶ δένδροις ὠπάσε παντοδαπάμ.
 Θνατόρ ὅτε συγεροῖς δέμας ἄλγεσι κῆτ' ἐπιληφθῆρ,
 Σφίγγετ' ἀκεσορία ἠπιόχει μόνθ.
 ἠήρ ὀθένεσιρ βοϊανῶν τε λίθων τε πεποιδῶς,
 ἄγνουσιρ μοιρῶν ὀκρυόεντα βέλη.
 Τῆνεκ' ἀρίζηλον κῦδθ' παρὰ τινέμεν αὐτῶ
 Δῆ, ἀναμαντομνῆς ὅτ' ἐκέλευσε θεός.
 εἰ γὰρ ἐρύξασιρ πολέως ἀπ' εὐνίτημ λήφῃ
 χαλκοδάσσηκας, φασὶ γέρας δίδοται:
 ὀρθῶς φοιθέας δίδοτ' ἐμπέροις μάλα τέχνης,
 οἵπερ ἀπὸ χρωτός πόντομ ἀγασσι κακόν.
 ἡμεροῖς πέλεται βίοςθ' πάντεσι μέροσιμ,
 ἔν' ἄρα ἔμ πανάκη τοῖσι γένοιτο φίλης
 Νῆμε θεὸς ζωῆρ, τῆρ δ' ἠηρῶν ἐπίτρεφε
 Μῆδεσιρ εἰδαλίμοις εὐ θεραπυέμελαι.

ὅσιν ἄρ' ἔμ βιοτήν φιλέσκεις σῆσιν ἀναλγῆ
 ἐμ κραδίῳ, ἐδλοῖς ἀλθέσειν ἐμ ἀνέχοις.
 ὁῖος Εγγεμιάδ' ὅ γενεᾶς Πέτρο' ἔργ' ἄλαυόν,
 Τέχνη ἀκεασινόσφ' ὅς γ' ἐκόρεσε νοῦν:
 ἐν πατρὶδὸς ἀνέλιξε πολυγνώτοιο Γαλήνης
 καὶ πολυφροσίνης Ἰωποκράταο βίβλας.
 ἠρεύνηκε φυῆν ποίωμ κροκίωμ τ' ἐριβῶλαξ
 ἦσι πυκαοθεῖσα χθῶν γελαῖα λιαρόμ.
 Νῦν δὲ λαβῶν δόξαμ, μόχθ' ἄχαριεσιν ἀμοιβήμ,
 ἔατ' ἔται ἔλομλῶναις πῆμα νόσοισι μέγα.
 χαῖρε φιλιήηρ, καὶ φέγγ' Εγγεμῖε, λαμπρόμ
 Σῆς γενεᾶς, ὄνεαρ πατρὶδ' ἠδὲ γέας.
 χαῖρ' ἐδλοῖο πατρὸς τέκ' ἐδλόμ, χαῖρ' ὀδυνάωμ
 Θελητήρ δυαχέριωμ μέλιχε, ἠπιόχερ.
 Κῦδ' αἰλλήερ, χαῖρ' ἠπιόθυμε, λελογχῶς.
 ἔσω ἀοαστήρ σοι ἀκείσῃ θεός.

ALIA M. BALTHASARIS

Vogtj Vlmenfis.

PRudenter semper magni fecere peritos,
 Pectora qui studijs excoluere bonis.

Et secreuerunt titulis, & honoribus amplis

A vulgo, vanas res cupiente, rudi.

Nam plebs communi viuens dictamine sensus

Ignorat mentis munera rara sua.

Diuicijs inhiat, quas sollicitudine magna

Partas, interdum dissipat hora breuis.

At quorum insedit melior sententia menti,

Ingenij quærunt hi potiora bona.

Incumbunt studio sophiæ, quæ sola supremi

Dirigit ad metam non sine laude boni.

Ac licet illorum possessio sola bonorum
 Et beet, & querat nullum aliunde decus.
 His decretus honor tamen omni est tempore summus,
 Qui mentem studijs expolière suam.
 In primis Medicis laus impartita peritis
 Semper in illustri sede locauit eos.
 Hippocrati Abderas vadenti, propter honorem
 Obuia processit maxima turba senum:
 Et seruatorem patriæ, patremq; vocauit:
 Eger Democritus quando iuuandus erat.
 Ob pestem pulsam spectacula publica Athenis
 Cecropij, Hippocrati constituère patres.
 Quin Romæ medicis maiora salaria doctis
 Sunt data, quàm reliquis, qui docuère, viris.
 Nam perpenderunt amplos medicina quòd vsus
 Præbeat, & vita commoda mille ferat.
 Pellat ab afflicto pallentes corpore morbos,
 Auxilioq; Dei tristia fata fuget.
 Præmia nec medicis hodierno tempore desunt,
 Sed benè progressos nomen honorq; manet.
 Dum tibi iam confert insignia, culta Tubinga,
 Maxima Peonij gloria Petre chori:
 Ostendit liquido studiorum se esse patronam,
 Et prompto laudum pectore ferre decus.
 Hos doctrina tibi præstantes gignit honores,
 Clara quibus fretus tollis ad astra caput.
 A teneris annis præsagia certa fuerunt,
 (Nam citò se virtus prodere magna solet)
 Eximios inter te præcipuosq; futurum,
 Qui studijs nomen promeruère suis.

Maximus ingenij vigor, & solertia mentis,
 Indolis indicium spesq; dedere bonam.
 Auguria euentus non vana fuisse probauit,
 Imò spes votis est superata tuis.
 Abdita natura scrutatus semina rerum
 Herbarum & lapidum cognitione vales.
 Exactè nosti summi praecepta Galeni,
 Et placita Hippocratis maxima mente tenes.
 Doctrina egregia longinquo tempore parua
 Aspirant velis fata secunda suis.
 Pharmaca nam miscens feliciter atq; perire
 Porrigis afflictis cum ratione virus.
 Gratulor ergo tibi redimite insignibus istis,
 Et facio laudi vota benigna tuae.
 Det Deus, ut medica sis multis vilis arte,
 Atq; salutarem sentiat ager opem.
 Idq; diu ut praestes, longa tibi tempora vita
 Petre precor, multos viuere digne dies.

A L I V D C A R M E N,

Ioannis Schöckij Vvaib-
 lingenſis.

Fundite Pegasides mihi munera vestra sorores:
 Tuq; meam intendas dexter Apollo lyram.
 Est mihi namq; tuus plectro celebratus alumnus
 Egilius, maior versibus vsq; meis.
 Qui caput ante alios per honestas extulit artes:
 Et iuuenis primum sedulus vrsit opus.
 Inde Machaonias adiit feliciter artes:
 Pergamei incipiens voluere scripta senis.

Hippocratis sensu monumenta abstrusa profundo:
 Atq; libros didicit magne Auicenna tuos.
 Hinc ita praeclaros progressus fecit: ab usu
 Multiplici, vrgeret mox ut & artis opus.
 Quos tibi ne frustra fuerit tolerasse labores,
 Dignaq; sint meritis praemia PETRE tuis.
 Ecce tibi Phœbus conferri mandat honores:
 Nectitur hinc capiti clara corona tuo.
 Praemia iure capis vigilum sperata laborum:
 Merces virtuti debita iure datur.
 Magnorum iactant alij monumenta parentum,
 Et signis fingunt nobile stemma suis:
 Hos non maiorum titulos dant facta parentum,
 Nec venit à priscis hoc tibi nomen auis:
 Sed venit ex cultis tibi gloria tanta Camœnis.
 Artibus hoc Medicis nomen adeptus habes.
 Quid loquor? es nostro quia longè carmine maior:
 Dignus es Aonidum flumine, Petre, vehi.
 Dignus es insigni Doctoris honore potiri:
 Dignus es elogio splendidiore cani.
 His cum plura mihi dictare negarit Apollo:
 Sufficiant tenuis candida plectra lyrae.

Aliud.

DoCor Vt es te Lo te Petre Creatoris honesto,
 Anno I restabant, elCe, bl Is olo De Ies.
 Gratulor, vt sancti te flaminis aura gubernet,
 Ardenti voto pectoris atq; precor.
 Vive diu, pro sis patriæq; tibiq; tuisq;
 Felici releuans membra dolore manu.

Gratulatoria.

*Vive diu, videas natos, videasq; nepotes,
 Exuperes Pylis Mathusaleq; dies.
 Et post terreni fas sit tibi carceris usum,
 Lactea melliti regna tenere soli.*
Franciscus Maier.

R Y T H M I H E B R A I -
 ci M. Ioh. Bartenbachij.

ראו את רכי כבוד שפר ניפיר

היום צחנה לו תפארת בראשו

את אשר לקח מיהרה כחסדו

ב כבודת יה יומם ולילה חסדו

שגם כבודו תרא לו חוד כפיר

הדש כי צעש בכחודי רכי רגו

למה אגו שש מוגל גפשו ולכי לק

חפץ יחדיו כמו הוא הדש חדר לק

לאשתף לבגותיך ובנים

כול אשר יתן בעתו אלהים

יהיה בכרכה ושלום רבים שנים

אשר צותן יהוה שלשה ואחד אמן

E I U S D E M

Versio,

*Videte quam clarissimo
Est Doctor ille nomine
Decorus. Huic ista die
Corona circum tempora
Datur: quod illi maximus
Pater Deus dat premium
Pietatis, in qua plurimum
Noctes diesq; perstitit
Deinde propter plurimos
Diu labores praestitos
Haec dignitas conceditur.
Nunc ergo multum gratulor
Imo meo de pectore
Ut hic recens honos bono
Tibi fiat, uxori tuae
Charissimisq; liberis:
Quae cuncta iusto largiter
Dabit Deus cum tempore:
Unus, precor, verus Deus
Triasq; fortunet. Vale.*

M. M. Anom. VV.

De ΑΜΦΙΚΥΠΕΛΛΩ sequenti,
AD CLARISSIMUM, ET
Præstantissimum Medicum: D. D. PE-
TRVM EGELLIVM, Rauens-
spurgensem: amicum suum,
tanquam fratrem.

ΚΑΘΙΕΡΩΣΙΣ

Ære alij titulos nitido virtutis honorant:
Aut tineta Tyrio murice veste colunt.
Hi quoq; gratantes istos tibi voce triumphos,
Sponte sua fuluo pondere dona ferant.
Nulla sed est auri diues Parnassia rupes:
Non ille euanido dote superbit apex.
Prodit at Aonidum cultis de montibus amplum
Virtutum meritis nomen, honosq; simul.
His quoq; tres charites fabricarunt ΑΜΦΙΚΥΠΕΛΛΟΝ
Laude quod ex medica fundat vtrinq; merū.
Quale fuit Rhodij vatis, quod fecerat, ouum,
Aut alæ: aut præstans arte Bionis opus.
Quale etiam nostris clarus Frischlinus in oris
Dono olim Medicis suaue poëma dedit.
Hoc tibi pro fuluo mittens, bone PETRE, metallo
Gaudia contestor pectoris alta mei.
Quod tibi sacratum munus gratantis amici,
Vile licet, cordis percipe signa tamen.
Quid referas tali pro munere quæris? amorem:
Seruet amor ^{verer} ~~mittis~~ te mihi, meq; tibi.

E Sacræ

Sacrae Medicinae encomium.

Digna colit **MEDICINA** venit, caeloq; locari: summus honorari quam **DEVS** ipse iubet.
Extulit haec inter tanto caput altius artes, | quanto plus reliquis utilitatis habet.

Quin se fronte statim comendat amabilis ipsa: | omine foelici nomina sacra getes. **Δ**
Namq; homini ut faceret benignè amato, | condidit Medicum **DEVS**: quoq;

Qui monstraret nobis in reb, ut omnibus usum: | ferret & almam, pecunia

cecu Deus alter, opè praesens mortalib, egris,
Iudicis hinc cum sit iuris rigor umbra severi:

Sic quoq; se **CHRIS** Medicum vocat, atq; fateatur,
Nempe valetudo cunctarum maxima rerū est:

Qua sine vix profunt animi bona,
nilq; profunt bona corporis:

Hanc Medicina iuvat:
hanc regit atq; fovet,
reducit atque perditam.

Hæc eadē vidice librat manu
sæpius funus positi sepulchro.

Miraculis progat breve tempus ævi:
Rebus opem miseris gramine læta ferens.

Tanto in honore locat Medicos divina potestas,
his ut opus tribuat proprium, titulosque, vicemque

quorum honor in quavis florente superbiat herba:
Hæc simul interno fulget pulcherrima cultus

Artibus humanis nec sapit ulla magis.
Sedula nā vires rerū causasq; requirit | omniū laetres;

& docet qua sint ratione summo | repleta cuncta Numine.
Ante alias monstrat Medicina qd **ΥΙΩΒΙ** rex **ΥΠΟΥ**, | Oraculū qd præcipit:

quantaque in humana sapientia condita mole | liquido tuetur ordine.
Structuram referat quis? & quis unus | partes enumeret venustiores?

sūcto que sua cuiq; sit, et quam splendidus ordo? | motuū vices, et impetus?

quantaque maiestas animi conclusa recessu ē | quis arcis huius arbitere?

quæ sit in hoc parvo discors cœcordia mudo? | oia que iustrat Medicus, qd

oia cognoscit, miratur, suscipit, | capio velut in iulero.

Coniungo dūm turium colit subitima (pœtans, | celtare tollit herbida.
Solem flammiferum vicēque Lanthæ: | & decus omne poli facit munda.

Quidē q̄ et huc magnū q̄q̄ se diffūdat in orbē | nobilis artis opus:
Lumina dum sursum cœli sublimia spectans, | tellure tollit herbida,
Solem flammiferum vicēsq̄ Lunæ: | & decus omne poli, facēsq̄ mundi
considerat, viresq̄ horum demonstrat ab alto: | quas novisse dedit DEVS.
Sunt quoque cœci, quos Natura regit, labyrinthi | artis Apollo tuæ:
Omnia timas, flamas, terramq̄ benignam, | æris vultus varios, & undæ
explicat: ac utroq̄ simul prudēter in orbe | iudicat rerū faciē caducam:
multaq̄ vaticina prædicit mēte futura: | nō rata sorte sed arte.

Quadrupedū omne gēus: maris et gēus omne natū:
ōe gēus volucrū sublimē qd̄ aëra findit

ingenio tractat medicus. | Sunt singula versu
prætereunda meo. | Plantarū cumulus celebriorum
quantus, opes quantæ, sapientia quanta recondita
his latebris, non ora valent mihi dicere centum:

quæ Medicina suo complectitur omnia cyclo.

Cunctæque humanos referēs in vsus,
gloriā spectat DEI potentis,

Fortē si quæras uoluptatem:

plæna tert hæc alycearia:

quanta animi capere,

pectora quanta queunt.

Quæris opes an sint Medico?

sūt modicæ, cūq̄ opibus honores.

Rebus ita in cunctis omni est ratione beatus.

Oblatret alijs rodētes ore psano | DEI nobile donū:

cuius opē miseri mox supplicē uoce p̄cāf̄ fatis ita cogētib.
o miseros hōes, morborū mille periclis iudicq̄ pressos.

pars qb̄. tādē melior periret ni Medicina foret.

Hæc canūt n̄ris p̄oēte: | et mihi maior Aristarcho diuinus Hōerus

nō dubitat Medicum cunctis præferre pelagis. | simul et reverenda veritas
testis sit, causæ & mihi candidus arbiter huius: | quæ Deos inter Medicos locavit

quod meritis æquent cœlestia Numina tantis. | Quibus est igitur ratio bona pectore candido

sponte colent M B D I C O S æterna laude vehendos: | quos posuissimus tanto in honore DEVS.

Quis est Probus.

M. IACOBVS PRAENTELIVS. Oberwolfzins, Syrus.

100

COGAR DEVEATTA

COGAR DEVEATTA

COGAR DEVEATTA

COGAR DEVEATTA

COGAR DEVEATTA

COGAR DEVEATTA

T
C
T
b